



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Canones de Baptismo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

aut conferre Sacramentum: anathema sit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesie Catholice ritus, in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quęcunq; ecclesiarum Pastorem mutari posse: anathema sit.

DE BAPTISMO.

CANON I.

Si quis dixerit, a baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi: anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, b aquam veram & naturalem non esse de necessitate baptismi, atq; idē verba illa Domini nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquā detorserit: anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit c in Ecclesia Romana, que omnium Ecclesiarum mater est, & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam anathema sit.

CANON IV.

Si quis dixerit, d Baptismum, qui etiam datur ab hereticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod

a An. Enchiridij. c. 49. c. aliud. & c. non regenerabantur, de consec. dist. 4. b c. pœn. de bapt. Ioan. 3. c. filius, & c. non dubito, de cons. dist. 4. c c non decet, 12. dist. c. ad abolendam de hæret. d Concil. Florent. in decretis Eugenij. c. dictum. f. quod vero cum 2. can. seq. 1. q. 1.

facit

facit Ecclesia, non esse verum Baptismum: anathema sit.

CANON. V.

Si quis dixerit, a Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit.

a Ioan. 3.
c. nulla
præter de
cōf. dist. 4.

CANON VI.

Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere: anathema sit.

CANON. VII.

Si quis dixerit, b baptizatos per baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem vniuersæ legis Christi seruandæ: anathema sit.

b Sic ad
Gal. 3. di-
cit Paul.
Testifica-
tor omni
homini,
&c.

CANON. VIII.

Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnib. sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita vt ea obseruare non teneantur, nisi se sua sponte illis summittere voluerint: anathema sit.

CANON. IX.

Si quis dixerit, ita reuocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriã, vt vota omnia, quæ post Baptismum fiunt vi promissionis, in Baptismo ipso iam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea, & fidei, quam professi sunt detrahatur; & ipsi Baptismo: anathema sit.

CANON. X.

Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post

D

Bapti-

Baptismum fiat, sola recordatione, & fide suscepti Baptismi vel demitti, vel venialia fieri: anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, verum & ritè collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infidelitatem Christi negauerit, cum ad poenitentiam conuertitur: anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, neminem esse baptizandum nisi ea etate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo: anathema sit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, paruulos, eò quòd actū credendi non habent suscepto Baptismo a infidelibus computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis peruenerint, esse rebaptizandos; aut præstare omitti eorum baptismum, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesie: anathema sit.

CANON XIV.

Si quis dixerit, huiusmodi paruulos baptizatos, cū adoleuerint, interrogandos esse, an nomen habere velint, quod patrini, eorū nomen dum baptizarentur, polliciti sunt, & ubi se nomen responderint, suo esse arbitrio relinquendum, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistia, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: anathema sit.

a Aug. li.
1. de pec.
mer. &
remiss. c.
9. & lib.
3. c. 2.